



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

2. Quale, & quantum sit bonum matrimonij fides?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

II.  
S. Thom. q.  
49. a. 1.

1. Cor. 7.

Vazq. d. 2. de  
matrim. c. 1.  
Suar. t. 3. in  
3. p. d. 2. S. 1.  
aff. 3. Sanch.  
lib. 2. d. 5.

Iudith. 15. 11.

Dan. 13.

III.

1. ult. §. frau-  
dis ff. de bo-  
nis damnato-  
rum. Aristot.  
2. Polit. c. 7.

Couarrua. in  
Epitome l. 4.  
part. 2. c. 8.

Duo prima bona, sunt matrimonij effectus: tertium est quiddam ex institutione diuina, cum matrimonij contractu connexum. Per hæc tria matrimonium cohonestatur, & in genere moris, à fornicario concubernaio discriminatur. Nam, cum matrimonialis actus, in genere naturæ, sit eiudem speciei cum actu fornicationis; in genere moris tamen ab eo maxime differt. Neque enim ibi est fides, ob quam, alter alteri, juxta Apostolum, debitum reddere ex præscripto legis diuinæ; aut cum eo cohabitare cogatur; aut contra jus alterius faciat, si ad alium torum diuertat; sicut pertinet ad fidem coniugalem, vt neuter coniugum cum aliqua alia persona copuletur; multoq; minùs, altero coniuge viuente, cum aliqua alia persona matrimonium contrahat. Siquidem per matrimonium, inter duos id contrahentes, jus ac Dominium vnus corporis in alterum, transfertur, traditurque, quod mutuo consensu acceptatur. Vnde iniuriam alteri facit, quisquis coniugum diuorciæ: & multum, apud DEVM meretur, qui hanc fidem datam seruat. Qua de causa dicebat olim Ioachim Summus Pontifex ad castissimam Iudith: *Eò, quod castitatem amaueris, & post virum tuum, alterum nescieris: idèò & manus Domini confortauit te, & idèò eris benedicta in aeternum.* Hanc benedictionem tanti fecit. Susanna, vt mortem oppetere, quàm Senum libidine contaminari mallet.

Secundum bonum est matrimonij, proles vel actus suscipienda, vel prout suscipi potest ex matrimonio, quod ad prolem suscipiendam, per se, & cum recta ratione, ordinatur. Est enim proles per se magnum quoddam bonum, quod conferat & auget humanam societatem. Vnde Adrianus Imperator, teste Paulo Iureconsulto, dixit: *malle se imperium ampliare hominum adiectione, quam pecuniarum copia.* Et Aristoteles scribit, eum, qui Spartiarum Rempublicam legibus constituit, Spartiatis, propositis præmijs, ad coniugia adhortatum esse, vt numerus ciuium magis augeretur. Disputant etiam nostri Doctores, *An aliquas immunitates, & quasnam etiam nunc habeant, qui in certo numero prolem masculinam ex matrimonio susceperunt.* Et fuit, apud Romanos etiam, magnum quiddam, *jus trium liberorum.*